

pignore, quod in securitatem creditoris datur, ut non tantum reti-  
 nere creditori liceat, donec satisfiat sed etiam distrahere ex pacto,  
 nisi intra statutum tempus reluatur & de credito satisfiat §.1. *inst.*  
*quib. alien. lic.* Deniq; à mandato, quod nudo absoluitur consen-  
 su, nulla licet re interveniente *l.1. & 2. ff. mand. pr. inst. eod.* Fit  
 tamen interdum præsertim in rebus fungibilibus, quæ constant, nu-  
 merò, pondere, mensura *l.24. l.25. §.1. ff. h. t.* talis contractus, ut tan-  
 tundem, quantum creditum fuit, aliquando reddatur ac insuper  
 etiam usuræ repromittantur ratione usus concessi, quod ipsum ir-  
 regulare depositum, licet notissimos aliàs depositi terminos exce-  
 dat (: cum regularitè in deposito idem corpus reddi & contractus  
 gratuitus esse debeat, alioquin incidit in mutuum & locationem : )  
 lex tamen contractus ex mente contrahentium servabitur *l.26. ff. de-*  
*posit.* & bonâ fide gestum inspicitur *l.1. §.6. ff. h. t.* Nec igitur dictis re-  
 fragatur *l.9. §. fin. l.10. ff. de reb. cred.* Ubi contractus depositi in mutuū  
 abire videtur; Verum si inspiciamus mentem contrahentium & pro  
 pacto tantum adjecto habemus, ut uti re depositâ liceat, depositum  
 est & manet; Quatenus verò ista usus concessio notissimos deposti-  
 ti terminos egreditur e.g. si pecunia datur ut quis eam in usus suos  
 convertat & idem genus restituat; tunc periculum statim transit in  
 accipientem, usuræ non debentur & sic pro mutuo habetur *Vid.*  
*Hahn. in Not. ad Wesenb. d. t. Zoës. d. t. n. 4. confer. quoq; Struv. Syntag.*  
*J. C.* qui rem accuratè exponit ex mente contrahentium. Si enim ab  
 initio expressè fuit conventum, ut quis depositum in suos usus im-  
 pendat & idem genus aliquando restituat, reverà mutuum est, licet  
 depositi nomen adhibeatur itemq; actio depositi, ut scilicet usuræ  
 sine stipulatione peti possint, applicetur. Sin autem custodiæ gra-  
 tia res fungibilis tradatur, aut deponens depositario pecuniam  
 non obsignatam relinquat *l.25. §.1. ff. h. t.* Videndum est, an deposti-  
 tarius ea ipsa utatur; quamdiu enim non movet istam rem, manet  
 depositum, quando verò pecunia mota est, mens contrahentium est  
 inspicienda. Aut enim volunt, si moveretur pecunia, contractum  
 transmutatum in mutuum *l.10. ff. de reb. cred. l.1. §.34. ff. deposit.* aut  
 volunt tantum deposito pactum esse adjectum, quod liceat, si placu-  
 erit, pecunia deposita uti & manet tunc quidem depositum sed  
 propter adjectum pactum alteratur natura & tunc vel ob moram

B

vel